

1244, maig, 26

Arbitratge de Pere Isarn, lloctinent episcopal, en causa entre Alamanda d'Escales, sagristana de Sant Daniel, i Bernat de Bordils, domer de laparròquia, sobre prestació de cens per part de certes oliveres.

ASD núm. 135, perg. orig., 175 x 190 mm.

Mota questione inter Alamandam de Scalis, sacristanam monasterii Sancti Danielis de mandato et uoluntate domine abbatisse ex una parte, et Bernardum de Burdils clericum et ebdomadarium Sancti Danielis ex altera super sex copis olei censualibus quas dicta abbatissa dicebat sacristanam nomine dicte saèristie consueuisse recipere annuatim ab ebdomadariis antecessoribus dicti Bernardi longissimo tempore pro ipsa trilia et oliuariis qui ibi sunt, quam dictus Bernardus tenet, que affrontat ab oriente in torrente iuxta ortum dicto monasterii, quod oleum retro ac quinque annis citra petebat sibi per dictum Bernardum solui et abinde annuatim prestari, ad quod dictum oleum prestandum dictus Bernardus dicebat se de iure non teneri; tandem dicta sacristana de mandato et uoluntate domine abbatisse et dictus Bernardus de Burdils in manu et potestate Petri Isarni, tenentis locum domini Guilielmi, Dei gratia Gerundensis episcopi sub pena .c. solidorum quos pars inobediens parti obedienti persolueret compromiserunt, ita quod quicquid ipse Petrus Isarni pro bono pacis inter eos diceret, dum dictus Bernardus ebdomedarius Sancti Danielis existeret utraque partium obseruaret. Qui Petrus Isarni, uisis et auditis rationibus et allegationibus et instrumentis utriusque partis et per antiquos ebdomadarios et per quasdam uenerabiles dominas dicti monasterii super predictis, ueritate ut potuit diligenter inquisita et attenta deterioratione dicte trilie que fertilis non existit ut consueuit, pro bono pacis inter partes dixit in hunc modum: quod domine abbatissa et sacristana diffinirent et remitterent dicto Bernarda totum oleum retroacti temporis quod sibi querebant et quod abinde dictus Bernardus existens ebdomadarius singulis annis inter festum Natalis Domini et caput ipsius donet pro censu dicte trilie et oliuariarum dicte sacristane et eius sacristie quatuor copas boni olei, excepto isto anno proxime uenienti in quo tantum donet dicte sacristane duas copas, sed post ipsum Bernardum dicta transactio siue compositio inter partes non extenditur nisi de nouo tunc temporis suum prestiterint assensum, imo abinde habeat et accipiat dicta sacristana dictas sex copas olei censuales annuatim pro dicta trilia et eius oliuariis ut melius et plenius ah antiquo accipere consueuit et hanc compositionem siue transactionem statim utraque partium approbavit.

Actum est hoc .VII. kalendas iunii anno Domini .MCCXLIIII.

Sig+num domine Alamande, sacristane. (*s. man.*) Petrus Isarni, terrens locum domini Guilielmi, Dei gratia Gerundensis episcopi, arbitrator huius cause, subscribo*. Sig+num domine Berengarie de Palagreto, sig+num domine Cilie, sig+num domine Ermessendis de Aquilario, sig+num domine Guilielme de Torrente, monialium Sancti Danielis. +Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis

abbatissa*. Bernardus de Burdilis, clericus et ebdomadarius Sancti Danielis, qui hoc firmat*.

(s. man.) Bartolomeus de Solerio, qui hoc scripsit mandato dicti Petri Isarni, die et anno quo supra.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 277-279